

sententia graduatoria eadem bona Felicia non tenetur excutere, sed virtute privilegii, *Authent. res quæ C. communia de legat. agere poterit contra fideicommissum ascendentis*, non solum pro residuo fortis dotalis, ut præter relatos in *decif. præterita respondit Rot. in Bononien. fideicommiss. de Maluezzis 7 Maii 1640, in §. ultimo, & 10 Martii 1642, §. 1, circa finem coram R. P. D. meo Peutingerio, & in Romana Censu 18 Maii 1646. & in Interamnen. fideicommissi 15 Martii præteriti coram R. P. D. meo Melio*; sed etiam pro fructibus prædicti residui, * juxta magis receptam DD. sententiam, de qua testatur Ruin. *consil. 199, nu. 8, lib. 2, Felician. de cons. tom. 2. lib. 3, cap. 5, n. 18, ad finem, ubi attestatur de veriori; Duard. eod. tract. §. 1, quæst. 7, n. 32, & 33, Mart. de successione legali part. 4, q. 21, art. 10, n. 5, Peregrin. de fideicommiss. art. 42, n. 86, & 96, vers. ex adverso consideratur, Cancr. var. resol. part. 1, cap. 9, n. 105, Vinc. de Franc. *decif. 213, n. 9, circa finem, vers. quando tamen punctus principalis, Barz. decif. Bononien. 108, n. 15, & 16, Mastrill. decif. 256, n. 10, ubi attestatur de receptiori DD. sententia, Roder. de annuis, & mensur. reddit. li. 3, quæst. 7, n. 70, Paschal. de Patr. potest. part. 2, cap. 7, nu. 39, in fine cum seqq. ubi plures hujus conclusionis rationes adducunt. Quia scilicet obligatio, * quæ ex Juris dispositione contracta præsumitur in bonis ascendentium fideicommissio suppositis, favore mulierum descendentium, ut inde dotis constitutionem, vel restitutionem consequi valeant, si bona libera non existant, juxta *consil. Dec. 519, nu. 3, Castren. consil. 319, n. 3, circa finem decif. Seraph. 693, n. 2, & 312, n. 17, part. 6, rec. & in Romana Salviani de Casalibus 21 Junii 1641, coram R. P. D. meo Cerro*, ad dotales etiam usuras extenditur, prout regulariter obligatio stipulata * pro forte, trahi solet ad usuras juxta *text. in l. Lucius, ff. qui pot. in pign. & in l. Etiam C. de jure dot. Neguf. de pignor. 5, part. 2, mem. nu. 9. Et quia hypotheca, favore dotis, à Jure inducta, usuras etiam includit, ut notant DD. in d. l. Lucius, ff. qui potior. in pign. Neguf. de pignor. secunda parte mem. 4, n. 55, circa medium.***

Hos tamen fructus ex redditibus fideicommissi exigere posse Feliciam, non autem ex proprietate bonorum * distrahenda Domini responderunt, prout alias responsum fuit in *Firmana, seu Maceraten. dotis 9 Januar. 1622. coram bon. mem. Pirovano, & in Romana fructuum dotis 12 Maii 1635, coram bon. mem. Coccino inter impressas part. 4, tom. 3, decif. 607, n. 7, & 8, & in Romana dotis 23 Junii 1645, coram R. P. D. meo Othobono in §. Quæ quidem actio. Et taxarunt ad rationem scutorum quinque pro centenario, donec in humanis extitit Claudius Pater, juxta particularem ipsius conventionem in initam cum Viro Felicia. Post ejus vero obitum, cessante tunc temporis conventâ dilacione dotis ad rationem scutorum septem pro centenario juxta dispositionem statuti Avenionen. quæ attendi debet,*

6 non autem particularis conventio ad Claudii * vitam restricta, nec ideo post ejus obitum protrahenda; *leg. commodissime ff. de lib. & posthum. Cardin. Mantic. de tacit. lib. 3, tit. 5, nu. 1, & in his terminis firmavit Rot. coram Reverendissimo Urgellen. decif. 419, n. 6, & in Romana fructuum dotis 27 Maii 1641, coram Reverendissimo Preside Vallisolanano.*

Responderunt præterea Domini reformandam esse sententiam graduatoriam in ea parte, quæ à die tantum factæ oppositionis per Mar-

cum adversarium in patrimonio Spiritæ, assignantur fructus duplicis legati, ab eadem relicti propriis filiis, nempe Francisco, in summa scutorum quadringentorum, ac Margaritæ pro seutis 800. per obitum utriusque delati Feliciæ forori. Quos fructus legata pecuniæ à die obitus matris, eidem assignarunt. Quia idem legatum succedit loco legitimæ, quam filius, licet in pecunia taxatam, consequi debet unâ cum fructibus à die matris obitus decursos, dum ejus hæreditas stabilibus affluere ostenditur ex Inventario, & Instrumento dotali, prout de legato pro dote relicto Feliciæ responsum fuit in decisione præterita, in §. sententiam præterea graduatoriam, & præter ibi relatos tradit Fabian. de Giacchis in repetitione *Auth. novissima n. 129, circa finem C. de inoffic. testament. Bald. cons. 222, n. 2, l. 4, Cardinalis consil. 80, num. 1, in fine. Corneus consil. 266, n. 12, lib. 3, Soccin. sen. cons. 57, num. 36, cum seqq. lib. 4.*

Et ita altera tantum parte informante decifum.

DECISIO XXX.

R. P. D. MELIO.

In causa Tiburtina redditionis rationis.

Lunæ 3 Junii 1647.

SUMMARIUM.

- 1 Dos ex quibus dicatur tradita, & n. 2.
- 3 Pupillus habet tacitam à lege hypothecam in bonis tutoris, æquivalens expressæ, n. 7.
- 4 Retentionem non habet posterior adversus anteriorem; habet qui jura acquisivit, n. 8.
- 5 Donatio in præjudicium tertii facta, est revocanda, inter Patrem, & filium; non sustinetur, n. 6.
- 9 Satisfactio contra administratorem præsumitur donec rationem reddiderit.
- 10 Retentio non pro credito turbido, & n. 11.
- 12 Mandatum, de cujus justitia & validitate apparet, exequi debet.

Fuit alias ad favorem Lentuli de Lentulis vigore sententiarum Rotalium, & rei judicata, relaxatum mandatum, in summa scutorum 1044. contra bona hæreditaria quondam Joannis Baptistæ Britii, qui bona administravit ab anno 1625. usque ad annum 1632. quondam Marci Antonii Lentuli, cujus est hæres dictus Lentulus ejus frater germanus. Felix autem Britia filia, & hæres dicti Joannis Baptistæ, & uxor Joannis Ursini sub 23. Januarii 1645. discussis partitis in dicto mandato contentis, obtinuit detractionem scutorum 177. unde mandatum exequendum erat pro summa scutorum 867. Sub 9 Junii ejusdem anni ad favorem Feliciæ fuit aucta partita scut. 101. uti soluta ab eodem Joanne Baptistâ, Luciæ Britiæ, præterea creditrici dicti Marci Antonii, & sic creditum Lentuli fuit firmatum in scut. 766. Sub 15. vero Januarii 1646. discussis iterum partitis examinatis sub dicta die 9 Junii, DD. ordinarunt, quod dicta partita scut. 101. apponeretur ad creditum Lentuli, quod propterea fuit denuo creatum in summa scut. 867. Hodie vero eadem Felix cum dictas partitas amplius controversere non posset, cepit præterea, dictum mandatum non esse exequendum, sub prætextu tam nonnullorum creditorum anteriorum sibi competentium, quam

dotis

dotis ipsi assignatæ ab eodem Joanne Baptistâ ejus Patre usque de anno 1623. in summa scut. 1500 licet postea ipsa fuerit nuptui tradita solum de anno 1633. Unde disputato sub hac die hoc particulari dubio, scilicet, an prædictum mandatum Rotale esset exquendum, DD. affirmativè responderunt, præterquam in bonis expressis in instrumento anni 1637. 21. Novembris, quia ex illo apparet, eandem Felicem unâ cum suo Marito pro satisfactioe d. dotis elegisse ex bonis hæreditariis d. Joannis Baptistæ duo molendina ad usum olei alteri conjunctum, & unitum positum in Civitate Tiburtina, in contrata S. Crucis juxta bona illorum de Cecofalis, nec non aliud Molendinum ad usum grani, cum charteria, unita in eodem loco, & unum olivetum in territorio Tiburtino in loco detto Garciano Summario Lentuli dato sub hac die n. 1. Postquam, electionem & acceptationem dd. Corporum, prædicti Conjuges de tali dote * dicuntur satisfacti ad tradit. per Mantic. *decif. 344, num. 7, Vinc. de Franc. decif. 108, n. 8, ibi, quod quando pro dote promissa, & decif. 305, n. 41, part. 7, recent. maximè cum illa acceperint in solutum, * ex quo nedum extincta remansit omnis obligatio Joannis Baptistæ debitoris, sed perempta etiam fuit quæcumque actio, quæ ipsis conjugibus competere poterat ex tali obligatione, l. solutio ff. de solut. l. solvendo ff. de negot. gest. & instituto quibus modis tollitur obligat. in princ. Surd. decif. 113, n. 2, vers. nam solutioe & decif. 536, n. 2, vers. & Domini p. 1, Rot. in recent. Romana pecuniaria 2 Junii 1634, vers. quia hoc non controvertitur coram bon. mem. Pirovano.*

Neque obstat, instrumentum donationis factæ sub 2 Octobris 1633. per d. Joannem Baptistam ad favorem D. Feliciæ, continere hypothecam expressam, dum post ejus obitum donavit Domum existentem in dicta Civitate Tiburtina cum omnibus mobilibus in ea existentibus, & acceptatio prædictorum corporum ab eisdem Conjugibus electorum pro dote, facta fuerit sine præjudicio d. donationis.

Quia cum hypotheca ad favorem Marci Antonii, à quo causam habet Lentulus ejus hæres, inceperit ab anno 1625. de quo tempore d. Joannes Baptistâ suscepit administrationem bonorum dicti Marci Antonii, cum tacita * semper inducatur hypotheca à lege ad favorem pupilli contra bona Tutoris secundum Bald. in l. cum oportet §. fin. C. de bon. quæ lib. Salicet. in l. pro officio C. de administr. Tutor. gloss. in cap. ex literis verb. obligata post princip. ubique, Abb. n. 11. de pign. Negufan. eod. tract. parte 2, membr. 4, n. 12, vers. prima est, Mantic. de tacit. & ambig. lib. 11, tit. 16, n. 18, Rebuff. ad consil. Galli tom. 2, tit. de consil. reddit. art. 1, gloss. 14, nu. 16, Surd. de alim. privil. 49, n. 17, Gratian. *discept. foren. cap. 601, n. 1, & cap. 935, n. 5, Soccin. sen. cons. 62, n. 1, lib. 1, utique est anterior * illa allegata per Felicem à qua propterea non potest impediiri illius executio, nec contra eam opponenda est exceptio retentionis, text. in l. assiduis verb. licet anteriores circa fin. C. qui potior. in pignor. habeant. Neguf. de pign. d. 4, memb. 2, part. n. 98, vers. tamen mulier. Mantic. de tacit. & ambig. d. lib. 11, tit. 2, n. 15, §. præterea. Rimin. jun. cons. 16, n. 3, Duran. decif. 141, n. 4, & decif. 412, n. 1, Romana Salviani de Casalibus 21 Junii 1641, coram R. P. D. meo Cerro, vers. & visa fuit cessare, &c. At in omnem casum dicta donatio non suffragatur eidem Felici, dum bona in ea comprehensa,*

omne ferè Joannis Baptistæ patrimonium absumunt; nec alia remanerent, ex quibus possit satisfieri Creditoribus, ideoque deficientibus aliis bonis hæreditariis, Felix in subsidium ex bonis sibi donatis tenetur creditoribus Joannis Baptistæ satisfacere, cum non potuerit debitor per translationem honorum suorum, titulo lucrati-vo, in alium factam illos omni Jure privare, & ideo talis donatio * tanquam in præjudicium tertii facta, est revocanda, *Jas. in l. his, qui pro emptore n. 120. Bart. in l. si indebitum §. si Procurator, ff. de condit. indebit. gloss. final. in l. æris alieni in vers. in subsidium, C. de donat. ibique Bald. n. 1. vers. idem si donator majorem partem, & Angel. in fin. vers. idem si donaret, Salicet. sub nu. 2. vers. quandoque quis donat rem, Tiraquell. in l. si unquam, vers. omnia, vel partem nu. 4. & 12. C. de revocan. donat. Guttier. de juram. parte 3, cap. 15, n. 20, vers. Sed quod deducatur ad alienum, & seq. Marc. Anton. var. resol. lib. 1, resol. 88, num. 9, §. 2, bona donata absorberent, &c. Abb. cons. 102, circa personarum n. 3, vers. quod si simpliciter, &c. Rimin. jun. cons. 98, nu. 15, & cons. 529, n. 41, Boër. quæst. 204, n. 47, vers. & ista regula, juncto vers. & prædicta procedere videntur. Si vero Felix uti intendat donatione sibi facta, usque de anno 1623, nec ista ei suffragatur; cum non fuerit facta, contemplatione certi matrimonii, minusque bona fuerint consignata marito, adeo ut ex tali assignatione dici possint facta dotalia, l. Titio centum, §. Titio genero, vers. hoc enim de condit. & demonstr. Mantic. de conjectur. ult. volum. lib. 11, tit. 22, n. 40, Cast. cons. 345, n. 1, li. 1, maximè cum fuerit facta inter Patrem, * & Feliciam, quæ ideo non sustinetur, l. donationes, quas parentes 25, C. de donat. inter vir. & uxor. Gratian. *discept. foren. cap. 82, n. 2, & 3, & cap. 397, n. 3, Nat. cons. 273, n. 2, lib. 2, Alex. cons. 181, in princip. lib. 1. Rota decif. 397, n. 3, part. 5, rec. Et in omnem casum illa cenferi debet revocata de consensu ejusdem Feliciæ, dum eidem de anno 1633, fuit constituta alia dos, cujus in eam quoque fuit translatum donatum, traditionibus C. de pact. Dec. cons. 598, nu. 1, visis his, quæ accuratè, &c.**

Nec relevat, quod saltem hypotheca dotis posterior præferatur tacitè anteriori inductæ ad favorem Lentuli. Quia, cum fuerit resolutum in hac causa coram Reverendissimo D. meo Decano sub 13 Maii 1642. redditionem rationis factam nomine Joannis Baptistæ, non fuisse sine dolo, certum est, Lentulum esse præferendum omnibus creditoribus, tam ex casu dotis, quam quovis alio titulo privilegiatis, * & quamvis agatur de tacita hypotheca, tamen ea ex dispositione legis, & sola ratione in hoc casu habet eundem effectum, quem habet expressa, *Neguf. de pign. part. 2, membr. 4, n. 2, in fin. vers. sed erit tacita, & n. 97, vers. dum autem dictum est qu. 7, in fin. Mantic. de tacit. & ambig. d. lib. 11, tit. 11, n. 7, in fin. Gratian. discept. foren. cap. 935, n. 8, 9, & 10, Roman. cons. 147, n. 1, Alex. cons. 58, n. 5, vers. præterea ex dispositione statuti lib. 7. Rimin. jun. consil. 587, n. 14.*

Non obstant exceptiones quæ demum per Felicem dantur adversus d. mandatum ad effectum obtinendi retentionem aliorum bonorum hæreditariorum d. Joannis Baptistæ sub prætextu solutionis factæ nonnullorum debitorum anterioribus ejus creditoribus. Quia libet videatur justificata prima partita scutorum 600. solutorum hæreditibus Boni Galleani pro extinctione censibus,

per d. Joannem Baptistam illi venditi, de anno 1616, sub die 2, Julii; atque alia partita scut. 80, pro fructibus usque ad extinctionem dicti census decursis; Nec non alia partita scutorum 426. 70, pro capitali, & scutorum 80, pro fructibus decursis per eandem Felicem pariter solutorum Petro Paulo de Angelis, pro extinctione simili census illi venditi, per ipsummet Joannem Baptistam, de anno 1634, 13, Novembris, & demum alia partita scutorum 271, 5, ex eadem causa solutorum Josepho Cappuccino, cui venditus fuit alius similis impostus census, per eundem Joannem Baptistam de dicto anno 1624, 13, Februarii, quæ partitæ in unam redactæ, constituant summam scutorum 1475, bajoch. 75, pro qua præsupponuntur Jura acquisita, * adeo ut ipsi competat retentio dd. bonorum hæreditariorum, ac in eorum possessione se tueri possit ad text. in l. qui à debitore ff. qui potior. in pign. habeant, & in l. si potiores, ibique gloss. fin. C. de his, qui in prior. cred. loc. succed. Card. Mant. decis. 69, n. 5, vers. neque obstat.

Tamen cum appareat ad manus ejusdem Felicis, pervenisse census, pluraque alia bona stabilia, mobilia, & se moventia, spectantia, ad hæreditatem d. Joannis Baptistæ; quæ quidem bona omnia descripta fuerunt in Inventario per eam confecto, sub die 24, Maii 1624, & quædam ex illis fuisse vendita, nempe unam possessionem, & unum olivetum Hieronymo Rosolino sub die 11, Decembris 1636, pretio scut. 1400, monetæ, atque sub die 21, Novembris 1637, alias duas petias terrarum, eidem solino pretio scutorum 1221, 87, ÷ ut colligitur ex Summar. Lentuli dato in propositione hujus causæ sub 4, Julii præteriti, & de his omnibus nullam fuisse redditam rationem ab eadem Felice, prout tenebatur;

9 Ideo præsumendum est ex dd. scutis 2621. retractis ex pretio venditorum bonorum, ipsam satisfecisse dd. creditoribus anterioribus Joannis Baptistæ, vel sibimet ipsi, pro juribus ab illis acquisitis, text. in l. Marcellus §. res, quæ ff. ad sen. Consul. Trebell. ubi Jaf. n. 12, Peregr. de fideicom. art. 35, num. 22, vers. sed interim, Fufar. de substitut. quæst. 667, n. 14, Gabr. consil. 138, n. 3, vol. 2, Rota dec. 680, n. 7, vers. hanc tamen part. 1, divers. 432, n. 8, & 9, part. 4, decis. 777, nu. 14, vers. quo verò part. 5, recent. & 547, n. 16, eadem part. 5, com. 2, Greg. decis. 67, n. 16, Cavaler. decis. 171, n. 1, & 453, n. 3, Bonon. fideicommissi de Clavarinis 10, Decembris 1638, coram R. P. D. meo Royas, & in Bononien. fideicommissi de Capiteferro, 19, Februarii 1646, vers. tertia distinctio coram R. P. D. meo Corrado, & dum non fuit per Felicem reddita ratio, non potest per eandem impediri executio mandati, de quo agitur, text. in l. Stan. C. contra Indic. tutel. Escobar. de ratiocin. cap. 21, n. 12, & 22, in fin. Cancer. var. resol. lib. 3, cap. 7, de pact. n. 328, Giurb. decis. 15, n. 3, Duran. decis. 247, n. 12. Imò neq; ipsa dici potest creditrix, cum semper prævaleat præsumptio consumptionis, & usurpationis bonorum administratorum, ut explicat Neguf. de pign. 1. membr. 5, part. n. 37, vers. ex quo Greg. XV. decis. 254, n. 3, & ibi Add. n. 8, Buratt. decis. 443, n. 2, & in recent. dec. 547, n. 17, p. 5, tom. 2, & dec. 3, n. 5, p. 6. Sed quatenus etiam dicta Felix esset creditrix, * cum tamen ejus creditum remaneat turbidum ob non redditam rationem, sufficit, nec ab ea aliqua retentio peti possit. l. fin. ubi DD. C. de compensat. Alex. consil. 95, n. 1, lib. 4, Surd. dec. 46, in fin. Cavaler. decis. 539, Adden. ad Buratt. dec. 160, n. 2, & in recent. decis. 679, n. 5, p. 1433, n. 2,

p. 2, & 743, n. 11, p. 5, recent. Romana quarti dotalis 19, Junii 1628, coram bon. mem. Coccino, Romana, seu Januen. monitum 31, Maii 1638, §. ex quibus negari saltem, & c. coram bon. mem. Boccabella, & 1 Martii 1641, coram R. P. D. meo Royas Romana fideicommissi de Capiteferro 10 Martii 1645, vers. & ex prædictis coram R. P. D. meo Corrado. Ad hoc enim ut retentioni locus esse possit creditum, * cujus vigore agitur, debet esse adeo clarum, ut nullo modo de eo hæsitari possit. l. i. C. si 2. nups. mul. Bald. in l. item quia n. 3 in 2. lectur. ff. de pact. Marefcot. var. resol. lib. 2, c. 121, n. 88, Menoch. consil. 858, n. 8, Duran. dec. 197, n. 1, Romana de Marefcottis 24 Maii 1624, coram bon. mem. Remboldo.

Unde cum validitas dicti mandati non controvertatur, ac illius etiam justitia * remaneat probata ex pluribus decisionibus tam coram R. D. meo Decano, quàm coram me emanatis, illud venit executioni demandandum pro dicta summa scutorum 867, text. in l. 2, C. de execut. rei judic. Rota decis. 498, n. 1, p. 1, & dec. 69, n. 3, vers. veni exequenda p. 6, recent.

Et ita utraque, & c.

DECISIO XXXI.

R. P. D. CORRADO.

Romana Vineæ.

Veneris 7. Junii 1647.

SUMMARIUM.

- 1 Identitas non probatur per generales demonstrationes, aliis convenientes; nec probatur contra non habentes causam à primis investitis, n. 2.
- 3 Caducitas emphyteutæ ex Canonum perceptione, censetur remissa; Ex præsumpta solutione excluditur, nu. 4. Ob non solutos Canones per biennium incurritur, n. 5. Propter alienationem sub conditione assensus non intrat, n. 9. Ut legitime intenteur quæ probanda, n. 12. Ex causa probabili, & colorata excusatur, n. 13.
- 6 Emphyteusis in fundum dotalem tradi potest à filia marito, sine assensu Domini.
- 7 Dominus recipiendo Canones à novo emphyteuta, censetur eum approbare.
- 8 Locatio rei emphyteute, ad modicum tempus licite fit, sine assensu Domini.
- 10 Clausula, omni meliori modo, in reservatione assensus Domini apposita quod operetur, & non aliis: in reservatione assensus Domini idem operatur ac si dictum fuisset, & aliter habeatur pro non facto, n. 11.
- 14 Spoliatus emphyteuta, est prius restituendus. Dicitur, qui prius possidebat, n. 20.
- 15 Reintegratio ex deductis in gradu appellationis an impediatur; ut impediatur, requisita; num. 21.
- 16 Associatio extrajudicialiter petita per Dominum, non requirit partis citationem, nec causæ cognitionem, secus quando petitur in forma judicii, & possessor emphyteutæ se opponit, n. 17.
- 18 Probationes coadjutivæ quando post sententiam admittantur.
- 19 Possessio ex quibus probetur?
- 22 Temporis lapsus non præscriptus reintegrationem non tollit.

Cum informantes pro RR. Monialibus non acquiescerent resolutioni in hac causa factæ

die 27 April. 1646. coram me; prætendentes adhuc mandatum de associando illis concessum, contra D. Alphonsum Ferrum, & quondam Portiam ejus uxorem ex eodem processu, vel saltem ex novis probationibus coram Rota productis justificari, atque ideo sententiam Rotalem pro reintegratione ejusdem Ferri prolatam non esse confirmandam; Volui consulere iterum Dominos qui causâ denuò, quâ solent maturitate, discussâ, steterunt in decis. 708, part. 4, tom. 3, recent. & sæpè in aliis.

Quia certum est, quòd coram iudice à quo non fuit probatum (ut necessarium erat) vineam, de qua agitur, esse eandem, quæ in investituris, tunc exhibitis pro parte Monialium, fuerat de anno 1567. & 1568. vel quondam Antonio de Libertariis, vel quondam Nicolao Calderario respectivè concessa, quinimò differebat ab utraque in quantitate, qualitate, & confiniibus, ut apparet ex lectura dd. Investiturarum, & monitorii, ac articulorum in illo iudicio productorum; Neque generales demonstrationes, * quæ alius æquè poterant congruere, sufficiebant, ut explicat Bart. in l. demonstratio sub n. 15, vers. vel quod alius est, & ibi Cast. sub n. 6, vers. vel nisi esset, alia res ff. de condit. & demonstr. & in his terminis latè probavit Rota penes bon. mem. Buratt. decis. 132, n. 8, vers. nec ad probandam identitatem, & c. ac per tot. & in rec. dec. 295, sub n. 8, vers. & tamen ad probandam identitatem, ac per tot. part. 1. Nec ullo pacto constabat reos conventos * à præfatis Investitis causam habuisse, ut fuit consideratum, in Roman. Devolution. 17 Martii 1621, coram bon. mem. Card. Verosp. in recent. dec. 281, n. 4, vers. prout nec similiter, & c. per tot. p. 4, tom. 2.

Minusque fuerunt justificatæ causæ præfatis caducitatis; Nam illa deducta ex non solutione Canonum per biennium, eliditur prorsus ex partitis exhibitis librorum ipsius Monasterii, ex quibus constat illos fuisse solutos usque ad annum 1615. & ex petitione facta pro non solutis de anno 1616. pro quibus non solum fuit relaxatum mandatum, sed executum, ac consummatum per captionem pignorum, subhastationem, ac deliberationem; deputatusque præterea ad instantiam Monialium Custos Vineæ ad percipiendos illius fructus usque ad integram satisfactionem, ut apparet ex eodem processu per acta Lucatelli sub diebus 30 Augusti, 13 Septembris, & 8 Octobris dicti anni 1616. transportato ad Rotam, ex quibus sanè * ante declaratam, vel agnitam caducitatem, petitamque ex ea causa immisionem, vel associationem gestis, censetur remissa caducitas, si quæ ideo fuisset incurfa, Surd. decis. 317, sub num. 1. & num. 14, vers. tota ergo difficultas, & in his terminis respondit Rot. in Roman. Domus 17 Junii 1610. coram bon. mem. Manzaned. in recent. decis. 708, num. 5, vers. ultra quod & sequentibus, part. 4, tom. 3, & comprob. modern. Rom. Discept. 633, nu. 39, vers. Ita ut ac seq. Eoque magis quia ex prædictis omnibus diligentis resultat efficax præsumptio actualis solutionis, ac satisfactionis, quæ etiam corroboratur, & adminiculatur ex aliis publicis actis, & attestacionibus respectivè sub diebus 7 Octobris 1616. 12 Maii 1617. & 8. Novembris 1641. pariter productis, ex quibus apparet notabilem vini quantitatem ex eadem vinea ad Moniales eo anno pervenisse, * ac proinde, vel satis inde justificatur illarum satisfactio, vel saltem inducitur justa causa excusandi dd. Conjuges à caducitate, ut fuit dictum in

Florentina præfatis devolut. 18 Maii 1622. penes Buratt. decis. 624, num. 7, vers. quæ probabilis credulitas, & sequentibus, & post alios idem Roman. d. disceptat. 633, sub nu. 24, vers. cum etiam, & sequentibus. Atque ideo quando facta fuit declaratio caducitatis, ac institutum super ea iudicium de anno 1617. die 22 Junii non vigeat defectus solutionis Canonum * per biennium continuum, qualis requirebatur ad d. effectum in emphyteota Ecclesiæ, juxt. text. in cap. potuit, §. emphyteota quoque extr. de locat. & Auth. Hoc jus porrectum in §. qui rem Cod. de Sacr. Sanct. Eccles. & in Aut. De non alienand. §. scire autem, nec proinde ex eo poterat justificari præfata caducitas, ut fuit conclusum, in dict. decis. 708, part. 4, tom. 3, recent. & sæpè in aliis.

Alia verò deducta ex alienationibus factis à Portia, quæ jure dotis vineam hanc transtulit primum in Joan. Baptistam Guidum, & deinde in d. Alphonsum Ferrum ejus secundum virum nullius erat considerationis, cum non fuerint probata, atque exhibita instrumenta dotalia, ex quibus constaret, quod illius dominium fuisset in eisdem viros simpliciter translatum, an potius tradita in fundum dotalem quod (præsupposita etiam identitatis probatione.) Portio licuisset absque alio Domini directi consensu, * tanquam filia, ac hæredi Alexandri Caputi, & consequenter comprehensæ in concessione illi facta ab eisdem Monialibus ex Instrumento, sub die 27 Februarii 1595. celebrato, ac per ipsas in eo iudicio producto, Specul. in vir. de emphyt. §. nunc aliqua nu. 133, vers. 109, queritur, Jaf. in l. fin. sub num. 107, vers. 1, ergo; Cod. de jur. emphyt. Crav. consil. 215, nu. 3, vers. In contrarium est veritas, & sequentibus, Corbul. de caus. priv. ob alien. limit. 20, sub nu. 1, vers. ampliatur, Pasch. consil. 53, sub n. 1, vers. & de datione in dotem, & fuit dictum in Rom. Domor. coram Reverendissimo P. D. meo Royas 9 Decembris 1641, in §. minus ob stare dicebant Domini, & 16 Januarii 1643, in §. fin. & coram Reverendissimo P. D. meo Ghislerio 18 Aprilis 1644, in §. sciendum vers. Et licet etiam deducantur, Idemque admiserunt Moniales recipiendo annuos Canones * à præfatis Guido, & Ferro eorum, ac Portiæ nominibus, absque ulla protestatione, vel contradictione, ut apparet ex dictis partitis, quo pacto dicuntur contractus cum eis gestos approbasse, & in eos consensisse ad l. Paulus, ff. rem rat. hab. Rom. consil. 103, sub nu. 5, vers. His tamen non refragantibus, ac seqq. Rim. sen. consil. 16, sub n. 23, vers. quæ idem operatur, & Rim. jun. consil. 22, d. n. 8, vers. Istis tamen non obstantibus, ac seq.

Quatenus autem adducebantur venditiones successivè factæ per dd. Conjuges Carolo Antonio Braschæ die 18 Augusti 1617. & Joan. Francisco Rochæ 24 Maii 1618. neque ex eis justificatur caducitas; Nam (præterquod posterior non fuit in d. iudicio probata) in utraque fuit reservatus in primis, & ante omnia consensus Monialium, & non alias, & c. Ac ulterius conventum, quod dominium, ac possessio Vineæ remaneret penes venditores, nec esset in emptorum transfata, donec pretium integrè fuisset solutum infra septennium, quo pendente illis concessa fuit titulo locationis, sub annua pensione conventa, ut legitur in instrumentis pro parte Monialium exhibitis, & neutra habuit effectum; nam prima post sex circiter menses fuit